

Constitut. quæ censuit, « Posse ab episcopo canonicos supernumerarios creari, ea tamen conditione, ut nullum jus ad præbendam vacaturam habeant; vel vendicent sibi ex tali erectione. » Aliam consimilem declarationem ejusdem sac. congregationis, ad sess. 24. cap. XIX. *de Reform.* editam, refert Gonzalez, ad reg. 8. Cancellar. § 1. *Proœm.* n. 64. sequentibus verbis: « Ex hoc decreto expectativarum abrogatarum colligitur, non posse erigi canonicatum supernumerarium ad futuram præbendam: » nempe, hanc in posterum vacaturam promittendo, adeo ut de jure sit debita canonico ultra numerum recepto; atque reddatur affecta, ita nempe, ut si alteri, etiam ignorantî, vel ab ignorantibus postea conferatur, non valeat collatio. Etenim capitulum jus ad præbendam primo vacaturam dare non potest, ut dictum.

33. *Unde hæc valide cuipiam alteri conferatur, etsi illicite.* — Inferitur proinde, quod si episcopus, aut capitulum, prætermissis canonico supra numerum recepto, præbendam proxime vacantem conferret alteri; illicite quidem ageret, et contra dispositionem juris communis, utpote indignum reputantis atque incongruum, ut receptus in canonicum præbenda careat: non tamen eam conferret irvalide. Prout in simili habetur c. *Si soli.* h. t. in 6. ibi: « Licet si contra faciat, puniendus existat: ei tamen potestas sic non admittitur conferendi, quin teneat alteri facta collatio ab eodem. » Hinc Glossa in cit. c. *Si soli.* §. *Firmitatem,* h. t. in 6. post medium, ait, « Si uterque auctoritate capituli expectet, de æquitate deberetur primo præbenda: si tamen capitulum eam secundo, vel neutri, sed tertio conferat, tenet collatio; quia capitulum jus ad primam vacaturam dare non potuit, sed solus Papa, c. *Detestanda.* eod. in 6. »

34. *Alia instantia, probans valere promissionem præbendæ vacaturæ, dissolvitur.* — Quod, si contra hactenus dicta objicias: Teneat episcopus tali canonico supernumerario conferre præbendam etiam vi suæ promissionis, si quam fecit; ergo. Antecedens probatur ex c. *Relatum.* 9. *de Præbend.* ibi: « Et Præbendam, si qua nunc vacat, vel cum ibi primo vacaverit, secundum promissionem tuam concedas liberaliter. » Ubi Glossa §. *In promissis,* ait, hanc promissionem valere; ergo. Resp. Negando antecedens, cum suæ probationis consequentia: nam, ut notat Fagnanus, in c. *Cum M.* n. 38. *de Constitut.*

contra Glossam illam est communis opinio, a qua non videtur recedendum. Nec obstat allegatus textus. Licet enim Papa mandet ibi conferri præbendam juxta promissionem, non tamen ex promissione jus aliquod erat acquisitum canonico; sed ad majorem aggravationem archiepiscopi, recusantis recepto in canonicum conferre præbendam, Papa ponderat illam promissionem: prout notat Abbas, in c. *Dilectus filius.* 19. n. 5. *de Præbend.* ac sequitur Fagnanus, ubi supra n. 62. (ADNOTATIO V.)

35. *An canonici supernumerarii debeant habere stallum in choro, vocem in capitulo, et distributiones quotidianas? Quoad hoc standum est speciali consuetudini Ecclesiæ, ubi ea viget.* — Quæritur III. Utrum canonici supernumerarii debeant habere stallum in choro, vocem in capitulo, et distributiones quotidianas? Resp. I. Quando circa hoc alicubi viget specialis consuetudo Ecclesiæ, tunc standum est illi consuetudini. Ita Glossa in c. *Cum M.* §. *Ultra numerum.* et Abbas, ibid. n. 29. *de Constitut.* et Fagnanus, c. *Dilectus.* il. 1. n. 16. et 17. *de Præbend.* asserens Glossam illam communiter recipi: et hoc procedit juxta limites consuetudinis, seu juxta principia generalia, quæ lib. I. *Decretal.* tit. IV. *De Consuetudine,* tradi solent. Unde alicubi consuetudo habet, ut canonici supernumerarii, de voluntate propria capituli ultra numerum recepti, si præsentis, choroque interessentes existant; habeant quidem stallum in choro, gaudeantque distributionibus quotidianis. arg. c. *Dilectus filius.* 49. *de Præbend.* non autem habeant vocem in capitulo: de quo videantur dicta superius tit. V. n. 58. et seqq. *de Præbend.*

36. *Et quid dicendum seclusa tali consuetudine speciali.* — Resp. II. Quod si circa hoc non habeatur specialis consuetudo Ecclesiæ, variæ extant doctorum opiniones; uti videre est apud Abbatem, cit. c. *Cum M.* n. 29. et 30. *de Constitut.* et Fagnanum, ubi supra n. 16. Breviter tamen videtur dicendum, quod si quis a capitulo simpliciter recipiatur ultra numerum, taliter receptus debeat habere stallum in choro, vocem in capitulo, et distributiones quotidianas, expectando tamen præbendam, donec vacaverit. Quia enim talis simpliciter receptus est ad jus canonicæ, consequenter debet habere jura canonica: sibi que imputent capitulares, qui eum taliter receperunt. Secus, quando receptio ultra numerum fit capitulo non simpliciter, sed eo

adjuncto, ut sit supernumerarius; nam talis adjuncto, seu protestatio denotat, quod capitulum noluerit frangere numerum; sicque nec conferre jura canonica ordinaria, sed solummodo jus quoddam extraordinarium, ac præparatorium ad ea; prout pluribus tradit Fagnanus, cit. c. *Dilectus filius.* il. 1. n. 21. 22. et seqq. *de Præbend.*

§ III.

DE GRATIIS EXPECTATIVIS, RESERVATIONIBUS MENTALIBUS, ET NONNULLIS ALIIS.

37. *Gratiæ expectativæ, quæ?* — Quæritur I. Quid sint gratiæ expectativæ, atque reservationes mentales; et qualiter prohibita? Resp. I. Gratiæ expectativæ sunt illæ, quæ dantur ad obtinendum beneficium nondum vacans, sed postea vacaturum. Et dicuntur, *Expectativæ:* eo quod illi, quibus conferuntur, jubeantur expectare usque ad tempus futuræ vacationis, et tunc primum consequantur effectum talium gratiarum. Nam quod Papa possit tribuere jus in beneficiis vacaturis, textus est in c. *Licet.* 2. *de Præbend.* in 6. ibi: « Verum etiam jus in ipsis tribuere vacaturis, » cum similibus: quidquid sit de aliis prælatibus inferioribus, antiquitus talem potestatem sibi arrogantiibus.

38. *Reservationes mentales, quæ; et qualiter differant?* — Porro Reservationes mentales, olim non musitata, fieri censebantur, quando, v. g. Papa reservabat beneficium in specie, aut in genere, per bullam aut breve, ut personæ gratæ exinde provideret, quam non exprimebat, sed in mente retinebat. Et hujusmodi reservationes appellantur *mentales:* quasi in mente retentæ quoad personam, cui Pontifex providere volebat: hanc enim Papa a principio non exprimebat, sed quando postea vacaverat beneficium, tunc primum tali vel tali personæ mandabat provideri de illo. Gonzalez, ad reg. 8. Cancellar. § 1. *Proœm.* n. 66. et 67. post Cassadorum, decis. 4. *de Reservation.* n. 1. et seqq.; Simonetam *de Reservat.* q. 4. n. 2. et 20. et Mandosium in reg. 11. q. 4. n. 2. Unde reservationes mentales differunt a gratiis expectationis, quod in istis mox a principio exprimitur persona, cui beneficium vacaturum conferri debet, non vero in reservationibus mentalibus.

39. *Sunt abrogatæ per concilium Tridentinum, sess. 24. cap. XIX. de Reform.* — Resp. II.

Gratiæ expectativæ, necnon reservationes mentales, et quæcunque aliæ gratiæ ad vacatura, novissime a concilio Tridentino, sess. 24. cap. XIX. *de Reform.* sublata fuerunt, et abrogatæ, illis verbis: « Decernit sancta synodus, mandata de providendo, et gratias, quæ expectativæ dicuntur, nemini amplius etiam collegiis, universitatibus, senatibus, et aliis singularibus personis, etiam sub nomine *Indulti,* aut ad certam summam, vel alio quovis colore concedi, nec hactenus concessis cuiquam uti licere. Sed nec reservationes mentales, nec aliæ quæcunque gratiæ ad vacatura, nec indulta ad alienas Ecclesias, vel monasteria alicui, etiam ex sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, concedantur; et hactenus concessa, abrogata esse censeantur. Hæc ibi: Concordat c. *Nulla.* *de Concession. præbend.* et c. *Detestanda.* 2. eod. in 6.

40. *Loquendo de episcopis, et aliis prælatibus Papa inferioribus: non item de summo pontifice. Papa potest jus tribuere in beneficiis vacaturis.* — Resp. III. Nihilominus prædicta prohibitio, seu gratiarum expectativarum, et reservationum mentalium abrogatio, solum intelligenda est de episcopis, et aliis prælatibus Papa inferioribus; non autem de ipsomet summo pontifice. Ita communis. Nam, quod Papa possit jus tribuere in beneficiis etiam primum vacaturis, textus est in c. *Licet.* 2. *de Præbend.* in 6. dicens, « quod beneficiorum ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscatur Pontificem pertinere: ita quod non solum ipsa, cum vacant, potest de jure conferre, verum etiam jus in ipsis præbere vacaturis. » Ubi Glossa §. *Vacaturis.* notanter addit. Quod alius non potest, cap. II. *de Concess. Præbend.* Etiam legatus a Latere, ut. c. *Dilectus filius.* t. XIX. *de Præbend.* Concordat c. *Ne Captandæ.* 3. h. t. in 6. ibi: « Ex benignitate gratiarum Sedis apostolicæ: » ubi proinde, sicut et c. *Auctoritate.* eod. in 6. et alibi, sæpe, hujusmodi gratias expectativas ad beneficia vacatura, per Papam concessas fuisse, legitur.

41. *Intelligendo istud de potestate sua absoluta, non de ordinaria.* — Nec obstat proxime relata prohibitio concilii Tridentini. Resp. enim inde solum sequi, quod Papa non possit jus tribuere in beneficiis vacaturis, per viam juris communis; seu (ut alii loquuntur) de potestate sua ordinaria, ac secundum jus commune regulata: secus loquendo de potestate sua absoluta, et suprema, atque

per viam dispensationis, quæ est juris relaxatio; nec est adhibenda, nisi subsit necessitas, vel utilitas. Fagnanus, c. *Nulla*. n. 92. et seqq. h. t. et concordant dicta superius lib. I. tit. II. *De Constitutionibus*. § 18. n. 459. et tit. XXXI. *De Officio judicis ordinarii*. § 1. n. 7. et 8.

42. *Papa est supra jus positivum humanum, potestque in eo dispensare. Concilium Tridentinum decreta sua subiecit romano pontifici, ab eoque petiit illorum confirmationem.* — Accedit, simulque magis declaratur data conclusio ex eo; tum quia Papa est supra jus positivum humanum; potestque de plenitudine potestatis in eo dispensare, *Proposuit*. 4. h. t. ibi: « Qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare; » tum quia concilium non est supra Papam: imo ipsum concilium Tridentinum, sess. 25. cap. XXI. *de Reform.* expresse declarat, « Omnia, et singula, quæ de morum reformatione, atque ecclesiastica disciplina in hoc sacro concilio statuta sunt, ita decreta fuisse, ut in his salva semper auctoritas Sedis apostolicæ et sit, et esse intelligatur. » Simulque idem concilium, more ab antiquo jam recepto omnia sua decreta subiecit Romano Pontifici, ad eoque petiit illorum confirmationem; prout habetur in fine dicti concilii. Verum occasione præmissorum, atque pro solutione cujuspiam instantiæ contra datam conclusionem formandæ.

43. *Quomodo Papa in provisione præbendæ vacaturæ, possit tollere vitium voti captandæ mortis alterius?* — Petes, quomodo Papa in provisione præbendæ vacaturæ possit tollere vitium, quod est in promissione præbendæ, vel beneficii vacaturi; voti scilicet captandæ mortis proximi, in cujus locum, et beneficium quis credit se successurum, contra c. *Nulla*. 2. h. t. Resp. cum Fagnano cit. c. *Nulla*. n. 82. h. t. id fieri ex eo: quia Papa est supra jus; ac proinde nihil impedit, quia illud possit facere urgente necessitate, (publica utilitate aut alia justa de causa. Eo præsertim), quia beneficii vacaturi promissio non inducit votum captandæ mortis casualiter; sed tantum occasionaliter, ut idem loc. cit. n. 15. loquitur: sicque potest purificari tum sua suprema potestate; tum præsertim ex urgente gravi necessitate, aut alia justa de causa, sine qua Pontifex non solet in jure communi dispensare; neque contra illud uti sua suprema potestate. Unde de facto, seu post concilium Tridentinum, Romanos Pon-

tifices rarissime gratias expectativas ad beneficia vacaturæ indulgere, notat Gonzalez ad reg. 8. Cancellar. § 1. *Proem.* n. 60. In Germania quoque tales locum habere non solent, ob expressam promissionem pontificiam non gravandi collatores ordinarios in mensibus alternis, suæque dispositioni relictis, « per quamcunque aliam reservationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam dispositionem; » prout continetur in concordatis Germaniæ, supra tit. V. *de Præbendis*. § 18. n. 355. jam relatis. Et hinc superfluum videtur plura, de gratiis expectativis disserere: eo præsertim, quia de præsentatione, atque prævalentia litterarum apostolicarum, seu rescriptorum ad beneficia, cæterisque huc pertinentibus, copiose jam dictum est superius l. I. tit. III. *De Rescriptis*. § 3. et 4. et seqq. quasi per totum.

44. *Ecclesiæ non numeratæ, et Ecclesiæ numeratæ, quæ?* — Quæritur II. Utrum in Ecclesiis non numeratis locum habeat vacatio præbendarum, atque devolutio potestatis easdem conferendi ad superiorem. Ubi sciendum, quod Ecclesiæ non numeratæ dicantur illæ, in quibus non est præfixus certus numerus canonicorum, vel præbendarum. Abbas, c. *Ex parte Astensis*. 10. n. 1. h. t. Sicut e contra Ecclesiæ numeratæ appellantur, in quibus adest determinatus numerus canonicorum, atque præbendarum. Quo prænotato,

45. *In Ecclesiis non numeratis vacatio præbendarum possibilis non est. Nec etiam devolutio collationis ad superiorem ob negligentiam inferioris.* — Resp. I. In Ecclesiis non numeratis vacatio præbendarum, seu canonicatum, possibilis non est: atque idcirco ibi non fit devolutio collationis ad superiorem ex negligentia semestri in non providendo Ecclesiæ de ministris. Ita textus notabilis in c. *Ex parte Astensis*. 10. h. t. juncto Summario et doctoribus ibid. Accedit ratio: quia vacatio dicitur respectu existentia, et numeri: hoc est, quia non existunt tot v. g. canonicatus, quot juxta taxatum numerum existere deberent. Abbas, c. *Dilecto*. num. 9. *de Præbend.* Unde consequens est, quod in Ecclesia non numerata nunquam dari possit vacatio, hoc ipso, quod certus numerus v. g. canonicatum non sit præfixus: sicque ulterius consequens est, quod in eisdem nec debeat devolutio potestatis conferendi beneficia vacantia, de qua fit sermo in c. *Nulla*. 2. h. t. atque notat Pontifex in cit. c. *Ex parte Astensis*. eod. Et hinc in c. *Dilecto*. 25.

§ *Præterea de Præbend.* dicitur, quod in Ecclesia, in qua non est certus numerus præbendarum, et in canonicum quis assumitur, « is intelligatur ad quoddam jus eligi, quod ex electorum assensu de novo creatur, vel cum electo in canonicum nascitur, et desinit cum defuncto. » Ubi ponderando ly, « desinit cum defuncto, » clare desumitur, quod mortuo tali canonico proprie non vacet canonicatus ipsius sed potius extinguatur, seu desinat cum defuncto: ut proinde non mirum, in tali casu non sit locus devolutioni ad superiorem, propter negligentiam conferendi intra semestre: nam concilium Lateranense relatum c. *Nulla*. 2. h. t. et talem devolutionem statuens; loquitur de vera vacatione beneficiorum.

46. *Quid agendum, si in Ecclesia non numerata canonici sint negligentes in statuendis novis canonicis juxta facultates Ecclesiæ.* — Resp. II. Nihilominus, si in Ecclesia non numerata canonici sint negligentes in statuendo novos canonicos juxta facultates et consuetudinem illius Ecclesiæ; tunc superior immediatus statuatur terminum ei, ad quem spectat institutio, ut infra ipsum provideat Ecclesiæ secundum consuetudinem ejusdem Ecclesiæ; quod si is non fecerit, ipsemet superior providebit. Ita Abbas, cit. c. *Ex parte Astensis*. n. 15. et Vivianus, in *National*. ibid. § 2. h. t.; Pirhing, eod. n. 42. et communis. Idque desumitur partim ex cap. I. *de Institut.* ubi numerus clericorum jubetur institui in Ecclesiis secundum harum facultates; tum ex c. *Irrefragabili*. 13. § *Excessus. de Offic. ordinar.* et c. *Cæterum*. 5. juncta Glossa fin. *de Judiciis*, ubi negligente ordinario transfertur jurisdictio ad superiorem.

47. *Collator ordinarius, seu habens potestatem conferendi, nequit alteri delegare potestatem conferendi primum beneficium, quod vacabit.* — Quæritur III. Utrum collator ordinarius, seu habens potestatem conferendi, possit alteri tradere potestatem conferendi beneficium vacans, vel proxime vacaturum? Resp. I. Collator ordinarius, sive habens potestatem conferendi beneficia, non potest de jure alteri tradere, seu delegare potestatem conferendi primum beneficium, quod vacabit. Ita textus in c. *Constitutus*. 11. § fin. et Glossa ibid. §. *In fraudem.* et Abbas, in *Summario*, et n. 5. et Vivianus, in *Rational*. h. t. et Pirhing, eod. n. 9. Ratio est, quia concessio potestatis conferendi ita individua, et deter-

minata ad beneficium proxime vacaturum, « fieri posset in fraudem canonicæ sanctionis, per quam prohibentur ecclesiastica beneficia concedi, sive promitti, antequam vacent; » prout loquitur Pontifex in cit. c. *Constitutus*. h. t. Nam, ut declarat Abbas, ibid. n. 3. volens Titio amico suo promittere beneficium vacaturum, donaret alteri amico suo potestatem conferendi beneficium primo vacaturum; et sic Titius esset quodammodo tutus indirecte de concessione beneficii, sibi ab altero amico suo conferendi; atque subintraret votum captandæ mortis proximi, ut citius beneficium consequi valeret, contra sanctionem concilii Lateranensis, in c. *Nulla*. 2. h. t. relati. Cum igitur malitia, et fraudibus hominum, non sit indulgendum, c. *Sedes*. 15. *de Rescript.* et l. *In fundo*. ff. *de Rei vindicat.* cum similibus: atque nota sit reg. 84. jur. in 6. « Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti; » merito talis concessio potestatis conferendi proxime vacaturum beneficium, reprobatum a jure, ut supra.

48. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, quod in cit. c. *Constitutus*. § *Quo circa*. h. t. Papa confirmaverit, atque servari mandaverit collationem beneficii proxime vacaturi, quam canonicus H. cui episcopus dederat potestatem conferendi præbendam sacerdotalem primo ibidem vacaturam, duxerit canonicè faciendam. Resp. enim, præfatum mandatum apostolicum gratiam continere personalem; prout loquitur Pontifex ibid. § fin. quam proinde Pontifex noluit aliis concedi, neque ad consequentiam trahi: idque ad evitandam fraudem erga canonicas sanctiones de non promittendis beneficiis necdum vacantibus; prout liquet ex littera cit. cap. *Constitutus*. § fin. h. t.

49. *Idipsum ampliatur ad potestatem præsentandi ad beneficium primo vacaturum.* — Atque data conclusio ampliatur ad potestatem præsentandi ad beneficium primo vacaturum. Sicut enim patronus non potest promittere, se præsentaturum aliquem ad beneficium vacaturum; ita nec potest dare alicui potestatem præsentandi ad beneficium in specie, antequam vacet: et si secus fiat, non tenet. Textus est in cap. ult. h. t. ubi Abbas, in *Summario* et n. 6. et Vivianus, ibid. et Barbosa, in *Collectan.* n. 1. citans alios. Ratio est, quæ supra: quia etiam hic indirecte fieret, aut fieri posset promissio beneficii primo vacaturi, contra

æpe dictum concilium Lateranense, c. *Nulla*. 2. h. t. relatum.

50. *Potest tamen collator ordinarius alteri delegare potestatem conferendi certum beneficium jam vacans.* — Resp. II. Potest nihilominus collator ordinarius, seu ille, qui habet potestatem conferendi, delegare, seu tradere alteri potestatem conferendi certum beneficium jam vacans. Ita Glossa c. *Deliberatione*, §. *Cuicumque*. de *Offic. legat.* in 6. et Abbas, in d. c. *Constitut.* n. 5. h. t.; Pirhing, eod. n. 9. et alii. Idque argumento a sensu contrario, desumitur ex textu cit. c. *Constitutus*. § fin. ibi: « Promitti, antequam vacent. » Accedit ratio, tum quia tunc cessat fraus, concilio Lateranensi inferenda; eo quod beneficium jam vacet, sicque locum habere nequeat votum captandæ mortis proximi; tum quia beneficium vacans potest canonice in specie conferri: ergo pariter nihil impedit, cuiquam concedi, seu delegari potestatem illud conferendi.

51. *Potestque episcopus suo vicario generali delegare omnimodam potestatem conferendi vacatura beneficia in genere ac indeterminate.* — Resp. III. Insuper potest episcopus suo vicario generali delegare omnimodam potestatem conferendi vacatura beneficia in genere, atque indeterminate. Ita Glossa d. c. *Constitutus*. §. *Contra formam concessionis*. et Joan. Andreas, ibid. n. 7. et Abbas, n. 5. et Barbosa, n. 3, h. t. et idem Barbosa, part. III. de *Offic. et potest. episc.* allegat. 54. n. 61, citans alios. Atque istud patet ex cap. ult. juncta Glossa §. *Commissa*. de *Offic. vicar.* in 6. ubi dicitur, « quod officialis, aut vicarius generalis episcopi beneficia conferre non possunt: nisi beneficiorum collatio ipsis specialiter sit commissæ: » et consequenter potest episcopus ipsis quorumcunque beneficiorum (sive, beneficiorum in genere collationem specialiter committere. Concordat c. *Ex frequentibus*. 3. de *Institut.* Ubi officiales episcopi dicuntur posse beneficia conferre. Subintellige, quando hoc ipsum eisdem specialiter est commissum, arg. cit. cap. ult. de *Offic. vicar.* in 6.

52. *Non vero cuiquam alteri, præter vicarium generalem.* — Additur notanter in conclusione, « potest Episcopus suo vicario generali, » etc. Nam episcopus non posset alteri, qui officialis, seu vicarius generalis non est, hoc jus conferendi quæcunque beneficia vacatura committere, arg. c. *Deliberatione*. § *Prohibemus*. de *Offic. legat.* in 6. Ubi hoc

ipsum, ad præcavendum fraudibus contra concilium Lateranense committendis, denegatur legatis apostolicis: ac notat Abbas, cit. n. 5. et Barbosa, d. allegat. 54. n. 60. post Quintanadvenas *Ecclesiasticor.* lib. I. cap. v. in fin.

53. *Fallit in præmissis regula illa: Cui licet, quod plus est, licet utique quod minus est.* — Atque ex dictis inferitur duplex fallentia regularium juris. Imprimis enim plus est, posse conferre omnia beneficia vacatura, quam unum duntaxat vacaturum in specie: tamen illa potestas poterit committi per episcopum vicario suo generali; non vero ista, juxta proxime dicta concl. 1 et 3. Quod tamen est contra reg. 53. jur. in 6. quæ habet: « Cui licet, quod plus est, licet utique, quod minus est. »

54. *Fallit quoque alia regula: Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum: et cur?* — Deinde legatus Papæ potest per se ipsum recipere resignationes beneficiorum infra fines suæ legationis, eademque postmodum conferre; non vero per alium, cit. c. *Deliberatione*. § *Prohibemus*. de *Offic. legat.* in 6. Similiter episcopus potest per se ipsum omnia beneficia vacatura conferre, non vero per alium, nisi fuerit vicarius generalis ipsius. Horum autem utrumque est contra reg. 68. juris in 6. ibi: « Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum. » Verum ratio specialitatis, seu fallentiæ dictarum regularum in casibus præmissis, est periculum fraudis committendæ contra concilium Lateranense, in c. *Nulla*. 2. h. t., prohibens conferri, vel promitti beneficia primum vacatura: facilius enim talis fraus committeretur per alios, quibus legatus, vel episcopus ultra suum vicarium generalem, daret illam facultatem conferendi (si posset) quam per ipsummet legatum, episcopum, aut hujus vicarium generalem. Glossa in cit. c. *Deliberatione*. § *Prohibemus*. vers. *Cuicumque*. de *Offic. legat.* in 6.

TITULUS IX.

Ne Sede vacante aliquid innovetur.

1. *Ratio continuationis rubricarum. Rubrica præsentis tituli continet regulam.* — Visum est duobus præcedentibus titulis de institutioni-

bus, et collationibus Ecclesiarum, atque præbendarum vacantium: postulat nunc ordo continuationis rubricarum, etiam declarare, quidnam Ecclesiis vacantibus liceat, vel non liceat facere. Atque idcirco provide in bonum Ecclesiarum vacantium, quas veluti pastoribus, et defensoribus suis destitutas, facilius in bonis ac juribus suis detrimentum pati contingeret, in rubrica præsentis tituli statuitur regula negative concepta: « Ne Sede vacante aliquid innovetur. » Et quia hæc regula perfectam orationem, sensumque completum continet, eidem inhærendum est, donec de fallentia constet: nam quod rubricæ perfectum sensum continentes utiliter allegentur, valeatque argumentum a rubro, notat Abbas, in rubric. h. t. estque jam dictum supra in præmio lib. I. *Decretal.* § 6. n. 96. et seqq.

§ I.

DE SEDE VACANTE, EJUSQUE DURATIONE, ATQUE INTELLECTU PRÆSENTIS RUBRICÆ.

2. *Nomine Sedis vacantis, quid intelligatur?* — Quæritur I. Quid intelligatur nomine *Sedis vacantis*? Resp. I. Nomine *Sedis vacantis* impræsentiarum vel maxime intelligitur Sedes episcopalis; hoc est, Ecclesia cathedralis, aut metropolitana suo viduata pastore; uti desumitur ex cap. 1. h. t. ibi: « Attendentes igitur, quod episcopali sede vacante non debeat aliquid innovari, cum non sit, qui episcopale jus tueatur. » Atque hoc ipsum ampliatur ad abbatias, et præposituras, aliasque dignitates, quæ per obitum prælatorum suorum censentur viduatae, juxta c. *Ne pro defectu*. 41. de *Election.*; Hostiensis, in *Summa*. h. t. n. 3; Abbas, c. *His quæ*. n. 2. de *Majorit. et obed.*; Barbosa, ad rubric. h. t. n. 2. et alii.

3. *Rubrica præsentis tituli, in quibus locum habeat?* — Resp. II. Nihilominus rubrica præsentis tituli, et regula per ipsum tradita, non solum in cathedralibus, sed etiam in minoribus Ecclesiis, atque beneficiis vacantibus locum habet. Ita Glossa cap. 1. vers. *Ecclesia. de Reb. eccles. non alien.* in 6. pro hoc allegans c. *Cum vos*. 4. de *Offic. ordinar.*; Joan. Andreas, cap. 1. n. 3, h. t.; Barbosa, cit. n. 2; Pirhing, h. t. n. 1. et alii. Accedit ratio, quia non solum Ecclesiis cathedralibus, sed etiam aliis prælaturis, imo et parochialibus Ecclesiis, cæterisque beneficiis in-

ferioribus periculosum foret; milleque præjudiciis obnoxium, si ipsis vacantibus, sicque legitimo defensore carentibus, libere posset quid innovari circa jura, bonaque ipsorum, etiam temporalia.

4. *Verbum, Vacare pluribus modis in jure accipitur.* — Resp. III. Licet verbum, *Vacare*, pluribus modis in jure accipiatur: in proposito tamen *Vacatio* Sedis episcopalis, vel alterius beneficii, importat carentiam proprii prælati, seu rectoris, qui munia ipsius Ecclesiæ peragat, ejusque jura tueatur. Ita Barbosa, ad *Rubric.*, h. t., n. 3 et 4. cum communi. Et quidem prior pars probatur inductione. Sic enim *Vacare* aliquando sumitur, prout idem est, ac cessare: ut 1. *Qui tertiana*. ff. de *Ædilitio edicto*. ibi: « Diebus, quibus morbis vacant: » hoc est, eorum morbi cessant. Nonnunquam vacare dicitur, quod est inutile, ac nullum fructum refert: sic pecunia censetur vacare, quando nullæ inde usuræ, seu lucra acquiruntur, 1. *Quintus Cæcilius*. ff. de *Deposit.* Tacentur alii modi, quibus verbum *Vacare* sumitur, apud Calpinum eodem verbo videndi.

5. *Et quomodo accipiatur in proposito?* — Altera pars patet ex cap. 1. et seqq. h. t. et cap. 1. juncta Glossa vers. *Ecclesia*. et vers. *Defensore. de Rebus eccles. non alienand.* in 6. Porro, quibus modis episcopatus, aliaque beneficia ecclesiastica vacare intelligantur, ex professo dictum est supra tit. V. de *Præbend.* § 12. n. 343 et 344. ac seqq.

6. *Vacatio sedis episcopalis, quandiu duret?* — Quæritur II. Quandiu duret vacatio Sedis episcopalis, alteriusque beneficii ecclesiastici? Resp. I. Sedes episcopalis semel vacans, censetur vacare tandiu, donec litteræ apostolicæ pro novo episcopo in curia promotæ, vel confirmatæ expeditæ, atque capitulo præsentatæ fuerint. Ita Barbosa, part. 3. de *Offic. et potest. episc.* allegat. 54. n. 160; Rebuffus, in *Praxi Benefic.* tit. de *Simonia in resignation.* n. 31 et 40; Gonzalez, ad reg. Cancellar. gloss. 15, § 2, n. 82, 83. et seqq. citans alios; ac n. 88. subjungens, cavendum esse a Flamin. Parisio, de *Resignation. benefic.* lib. 7. quæst. 23, n. 40 et 47. et seqq. dicente, quod Sedes episcopalis amplius non vacet post provisionem novi episcopi a Papa in consistorio factam.

7. *Ea durat usque ad præsentationem litterarum apostolicarum capitulo factam. Idem dicendum de sedibus abbatialibus promotorum in curia.* — Conclusio hæc, quæ etiam pro-